



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 60. Nova edicta Galliarum Regis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1554.

reversus copiis suis missionem fecit, atque Helvetios de Regis liberalitate contentos ad sua redire iussit, nec non urbes finitimas validis firmavit præsiidiis, quasdam vero peditum, equitumque legiones Vindocinensi Duci reliquit, ut sese opponeret hosti, si forte rursus Gallos invadere tentaret, prout re ipsa Cæsarei nova moliebantur, & vel Ardecium, vel Montrolium obsidere parabant.

## §. LIX.

*Cæsar Bruxellas veniens.*

*Thu. l. 13.*

Verum Cæsarei hoc obsidionis apparatu non nisi hostem fallebant, postquam enim in agros populabundi excurrerant, ac quasdam urbes, arcesque continenti incendio deleverant, de Vindocinensis Ducis adventu certiores facti retrocesserunt: Cæsar vero, cum aliquot dies farciendis Renticanæ arcis ruinis impendisset, ad oppidum S. Audomari se contulit, & mox Atrebatum; inde vero Bruxellas profectus est.

## §. LX.

*Nova edicta Galliarum Regis.*

Pariter Galliarum Rex unacum Guisio Duce, ac præcipuis Aulæ suæ Ministris Compendium secedebat, vix  
autem



autem Mense Septembri in regnum suum  
 reversus erat, ibi non modo in tribu-  
 nalium, sed & in ærarii Ministris varias  
 mutationes fecit, pluraque nova erexit  
 officia, ut hoc pacto pecunias extor-  
 queret. Porro cum Parisiensis Senatus  
 sese novis ejusmodi dignitatibus vehe-  
 menter opponeret, Cardinalis Lotha-  
 ringius Vir rerum novarum studiosissi-  
 mus Regi auctor exstitit, ut hujus Se-  
 natus judices duntaxat semestres essent,  
 ac duplo major crearetur numerus Mi-  
 nistrorum, quibus novæ hæ dignitates  
 venderentur, ut proin ab illis plurimæ  
 corraderentur pecuniæ. Obluctabatur  
 denuo Senatus, ac suo nomine per Ægi-  
 dium Magistrum, qui erat primus Cu-  
 riæ Præses, Regi libellum supplicem  
 offerebat, cui ad singula capita Michael  
 Hospitalius respondit: verum hoc edi-  
 ctum non fuit inter regias Constitutio-  
 nes relatum, quamvis ejusmodi offi-  
 ciorum nundinatio per quatuor omnino  
 annos viguisset, ac primum evoluta  
 hoc temporis spatia res ad pristinum  
 statum fuissent reductæ. Postea alio  
 edicto Regionum Scribarum numerus  
 augebatur, additique fuere octoginta,  
 adeo, ut simul ducentorum numerum  
 explerent, eaque de re lex in Senatu  
 non sine ingenti animorum contentio-  
 ne promulgata est die decima Decem-  
 bris.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1554.



Sæcul. XVI A.C. 1554. bris. Pariter eodem anno in Britannia Senatus erigebatur, qui ex quatuor Præsidibus, triginta duobus Confiliariis, duobus Advocatis Generalibus, uno Procuratore supremo, ac duobus scribis constabat, ubi alternatim per semestre jus dicere, jubebantur, ita tamen, ut in uno semestri duntaxat Ministri in Provincia nati pro tribunali sederent. Tandem alia lex omnino severissima promulgabatur, vi cujus Pictones, Rupellani, ac circuminsulani, Engolismenses, Lemovicenses, Petracorii, Santones, atque Aquitani populi, Salis vectigal, quod iis Provinciis impositum erat, undecies centum nonaginta quatuor millibus Gallicorum nummum redimere compellebantur.

## §. LXI.

*Conventio inter Joannem Fridericum, & Augustum circa Saxonie Electoratum inita.*

*Thu. hist.*  
*l. 13. n. 9.*  
*Sleid. comm.*  
*l. 25. p. 940.*

Integer hic annus in Germania impendebatur, ut partim armis, partim comitiis hanc in rem convocatis Saxonie negotia, necnon Alberti Brandenburgici causa decideretur; cum enim Joannes Fridericus mortuo Electore Mauritio Saxonie Electoratum repetere haud